



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. VI. De Absolutione ab Hæresi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Erotem. Eccles. Cap. VI. De Absolut. ab Hæresi. 7

rum hic Patavii Episcopi nunquam eas concedunt; sed eas ab Inquisitore Venetiis comorante quilibet vir doctus, & probus absque difficultate solet obtinere licentias prædictas ob speciale indultum ejusdem Inquisitoris.

8. *Quer.* An ignorantia excuset à culpa, & à pœna legentes libros prohibitos? *Resp.* Ignorantiam invincibilem tam juris, quam facti excusare legentem à culpa, & à pœna. Ignorantiam notabilem pariter excusare à culpa gravi, & à pœna. At ignorantiam crassam, vel supinam non excusare à culpa, sed solum à pœna; quia Censuræ censentur instrictæ in præsumentes legere; & non dicitur præsumere, qui est ignorans, licet cum affectatione, vel pigritia. DD. quos allegat, & sequitur Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 7. à num. 21. 22. & seqq. Philippin. de Privileg. Ignorantia tom. 1. num. 225.

9. *Quer.* An, qui legit librum prohibitum, sed eum non intelligit, incurrat in censuram; & quid de eo, qui non legit, sed legentem audit, & intelligit? *Resp.* Incurrere utrumque in Censuram, docere Bonacinam de Censuris in Bulla Cœne d. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 13. Sed neutrum prædictorum incurrere, tenere DD. quos citat, & sequitur Tambur. d. §. 7. num. 31. & seqq. lib. 2. cap. 1. in Decalog.

10. *Quer.* An parvitas materiæ excuset legentem libros prohibitos à culpa, & à pœna? & quæ dicatur parvitas materiæ? *Resp.* Excusare à pœna, & à culpa, nisi voluntarie legeret locum hæresis. Parvitas autem dicitur secundum laxiorem opinionem lectio unius paginæ impressæ in folio. DD. citati per Tambur. d. §. 7. num. 34.

11. *Quer.* An incurrat culpam, & pœnam, qui legit libros prohibitos absque scandalo, & absque periculo subversionis, sed solum ad bonum finem, & ad errores confutandos? *Resp.* Possit negativam responsionem dari ex communi Doctorem sententia, quæ firmat, cessante fine legis, cessare obligationem legis, de qua Diana part. 1. tract. 10. ref. 28. & alii plurimi, quos congerit Tambur. in d. §. 7. num. 36. & seqq. Porro Tamburinus trepidat in conclusione, & defensione hujus casus, quamvis ei favere magnopere videatur; addendo, finem prohibitionis legendi libros Hæreticorum non esse tantummodo periculum subversionis, sed spretum inimicorum Ecclesiæ, obedientiam Summo Pontifici, & alia motiva, ex quibus dicendum est, legentem incurrere tam in culpam, quam in pœnam, & non excusari ex sola securitate non se pervertendi.

12. *Quer.* An retinere librum prohibitum per aliquem diem tantum excuset à culpa, & à pœna? *Resp.* Affirmativè, quia parvitas temporis excusat. Tambur. ubi supra §. 7. num. 43. & 44. At extat Propositio damnata ab Alex. VII. la 45. quæ affirmabat, quòd Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

13. *Quer.* Cum afficiantur censura in Bulla Cœnæ Impressores Librorum Hæreticorum, quinam censendi sint impressores? *Resp.* Omnes illi, qui immediatè laborant, & ope-

ram dant impressioni; quales sunt non solum domini officinæ impressoriæ, sed etiam famuli omnes ejusdem. Tamburin. d. lib. 2. cap. 1. §. 7. num. 46.

CAPUT VI.

De Absolutione ab Hæresi.

1. *Quer.* Quis possit absolvere ab Hæresi in foro poli? *Resp.* Plures esse casus distinguendos. Primus est, quando hæresis fuit merè interna, & ab hac quilibet potest absolvere. Azorius part. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 4. Secundus est, quando fuit solum externa, & non interna; ut si metu, vi, aut subita ira aliquid factum, vel dictum sit contra fidem, sed absque errore intellectus; & probabile est, etiam in hoc casu quemlibet Confessarium posse absolvere, ex Dian. part. 3. tract. 4. ref. 143. & part. 4. tract. 4. ref. 240. Tertius est, quando quis certò scit, lingua hæresin pronunciaffe, sed dubitat, An mente consenserit? & hunc à Confessario non privilegiato absolvi non posse, tenet Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 10. num. 74. sed posse, defendit Tamburin. in Decal. d. lib. 2. cap. 1. §. 8. num. 4. Quartus est casus, quando fuit hæresis externa & interna, sed pœnitens nesciebat, ei injunctam esse excommunicationem reservatam, & potest à quocunque absolvi, asserit Tamburinus d. §. 8. num. 5. Secus autem, si edoctus erat de ipsa Censura. Quintus est casus, si hæreticus externus & internus sit in Articulo mortis, & à quocunque potest absolvi, recepto juramento de parendo mandatis Ecclesiæ. Tamburin. ubi supra num. 6. & 7. ubi notat, idem esse articulum mortis, & probabile periculum mortis imminentis. Sextus, est casus perpetui impedimenti, ut aegritudinis, carceris, triremis, paupertatis, &c. & in hoc pariter quilibet potest absolvere. Tamburin. ibid. num. 8. & 9. Porro excepto primo, & sexto casu dicendum omnino est, quòd nullus potest absolvere, nisi Papa, ut probant mæ Decisiones de Pœnitentia. Decis. 44. & 45.

2. *Quer.* An, qui indiget absolutione à Censura reservata, & non potest adire Superiorem, teneatur ad eum mittere Nuncium, vel Epistolas ad petendam facultatem, ut absolvatur? *Resp.* Negativè Castropalus, quem citat, & sequitur Tamburin. d. §. 8. num. 10. ubi propterea admonet, Monialem lapsam in hæresin posse à suo ordinario Confessario absolvi. Porro in praxi ego semper vidi Confessarios timorata conscientia in casibus reservatis recurrere ad Superiorem, vel ad Sacram Pœnitentiarum, suppresso nomine pœnitentis, quia sic securius proceditur in negotio salutis.

3. *Quer.* An Inquisitores possint absolvere hæreticum? *Resp.* Affirmativè, si Hæreticus sit occultus; negativè, si sit publicus, seu deductus ad forum contentiosum. Tamburin. d. §. 8. num. 11. & Diana Coord. part. 5. tract. 8. ref. 19. & 20. Et hoc ex speciali facultate iisdem à S. Sede concessa.

4. *Quer.*

8 Erot. Eccl. C. VII. De Apostas. & c. C. VIII. De Infidel. & c.

4. *Quer.* An Episcopus possit absolvere Hæreticum occultum, vigore Concilii Tridentini sess. 24. cap. 6. de Ref. *Resp.* Hanc esse insignem quæstionem Theologorum & Juristarum; & pro utraque opinione plures militare Doctores, quos refert Diana Coordinatus. d. part. 5. tract. 8. de hæresi resol. 15. 16. & 17. Tamburin. d. §. 8. num. 12. Barbosa. allegat. 50. num. 178. Pax Jordan. lib. 3. de Pœnit. tit. 4. num. 82. Canonistæ insistent in negativa; Theologi in affirmativa; Sed negativa est magis probabilis. Et hic quatenus amplectatur affirmativa, notanda sunt tria ex Diana supracitato. Primum, quòd Episcopus potest delegare absolutionem Confessario particulari juxta casuum occurrentiam; quia Concilium prohibuit delegationem generalem tantum. Secundum, quòd potest Episcopus absolvere etiam extra Sacramentum confessionis, & sic absentem, quia Concilium ait in foro conscientie, quod differt à foro Pœnitentie. Tertium, quòd Episcopus potest absolvere, etiam si reperiatur extra Diececem, suum subditum, vel etiam peregrinum in sua Diececi. Vide de Pœnitentia meas Decis. 44. & 45. ubi opinio negativa in prædictis firmatur; unde Diana, & sequaces sunt rejiciendi.

5. *Quer.* An Capitulum, Sede Vacante, possit ab hæresi occulta absolvere? *Resp.* Id pendere ab opinione, quæ favet Episcopis; & sic illam sequendo, poterit etiam Capitulum. Tamburin. d. §. 8. sub n. 12. sed verè non potest d. Decis. 45.

CAPUT VII.

De Apostasia, & Schismate.

1. *Quer.* Quid sit Apostasia? *Resp.* Est totalis fidei negatio. Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 9. num. 1.

2. *Quer.* Quæ pœnæ sint inflictæ contra Apostatas? *Resp.* Ex omnes, quæ inflictæ sunt contra Hæreticos. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 7. à num. 16. Menoch. de Arbitr. casu 557. num. 6. Et est tex. in Cap. Contra de Hæretic. in 6. attenta Bulla Cœnæ Domini.

3. *Quer.* An qui apostatavit à Religione, possit confitendo se accusare, tantummodo contra articulos fidei peccasse? *Resp.* Negative, sed tenetur exprimere, se apostataste, ac ulterius falsam religionem, quam amplexus fuit. Thesaur. de Pœnit. part. 2. verb. Apostasia à fide cap. 1.

4. *Quer.* An Apostata externus, sed non internus possit à quocunque Confessario absolvi? *Resp.* Affirmative secundum Dianam relatum à Thesaur. ubi supra vers. nota. At in praxi est recurrendum ad S. Pœnitentiarium, quæ præcipere solet, ut prius abjuret apud S. Officium.

5. *Quer.* Quis sit Schismaticus? *Resp.* Illum esse Schismaticum, qui credens omnes articulos fidei, retrahit se ab obedientia Summi Pontificis, ut est Christi Vicarius. Sanchez. lib. 2. in Decal. cap. 36.

6. *Quer.* An omnis Schismaticus sit Hæreticus? *Resp.* Negative, sed est necesse, ut

præter peccatum Schismatis habeat in intellectu errores contra fidem. Nihilominus omnis Schismaticus afficitur excommunicatione lata in Bulla Cœnæ Domini. Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 9. num. 3.

7. *Quer.* Quot in casibus committatur Schisma? *Resp.* In duobus casibus. Primò, si quis obediat, & adhæreat Antipapæ, id est, electo à minori parte Cardinalium. Secundò, deferendo obedientiam Papæ, & communicationem cum Ecclesia Catholica. S. Thomas 2. 2. q. 39. art. 1. Thesaur. part. 2. verb. Schisma c. 1.

8. *Quer.* Quæ sint pœnæ contra Schismaticos statutæ? *Resp.* Esse sex. Prima est excommunicatio supradicta lata in Bulla Cœnæ Domini, quæ est Papæ reservata. Secunda, est excommunicatio contra Antipapam, ejus electores, & fautores ac sectatores, ex cap. Licet. de Elect. quæ non est reservata, & ex Bulla Gregorii XV. quæ est reservata. Tertia, est infamia, & irregularitas, si Schisma sit notorium. Quarta, sunt inhabiles ad beneficia obtinenda, & privandi sunt obtentis ex jure antiquo; at ex Bulla Pauli IV. ipso jure restant spoliati omnibus officiis, beneficiis, & jurisdictione, si fuerint convicti, vel deprehensi in crimine isto. Quinta, Schismaticus non potest eligi in Papam. Sexta, ordinationes Schismaticorum sunt irritæ, adeò ut ordinatus à Schismatico sit suspensus, & irregularis; & beneficii collatio per Schismaticum facta, sit invalida, prout alienatio bonorum; & qui in contrarium sustinere prætenderet, incurreret in excommunicationem latam in cap. 1. de Schismat. Ita Thesaur. ubi supra verb. Schisma cap. 1.

9. *Quer.* An liceat communicare cum Schismaticis toleratis? *Resp.* Affirmative in negotiis, & commerciis civilibus, secus autem in rebus spiritualibus, prout circa Græcos Insulæ Zacynthi respondisse Sac. Congregationem Anno 1626. testatur Nicolius Lucubr. Canonic. lib. 5. tit. 8. pag. 210.

10. *Quer.* An Episcopi Schismatici valide ordinent? *Resp.* Affirmative, sed ordinati sunt suspensi. Cap. fin. de Schismat. Clemens VIII. Constit. 34. §. 4. At invalidè absolvent etiam in articulo mortis. Ego de Pœnit. Decis. 45. num. 2.

CAPUT VIII.

De Infidelibus, & Paganis.

1. *Quer.* Quot sint species infidelium? *Resp.* Esse tres, videlicet Paganorum, Saracenorum, & Judæorum. Primi adorant Idola, & vocantur Idololatæ, ac Gentiles. Secundi venerantur Maumethum, & dicuntur Maumethani, quales sunt Turcæ, Mauri, Arabes. Tercii credunt veteri testamento, sed non novo, & sic Christum respuunt, & sunt Judæi. Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 10. num. 1. ubi subdit, alios addere quartam speciem Atheistarum, qui nullum Deum, ac nullam Religionem admittunt; sed talium non est secta communis alicui populo, sed scelus alicujus particularis, quia nulla